



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XIV. Mysticæ Theologiæ contemplatio faciliori modo exponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

naturam mentis; quando scilicet mens nostra recedens ab omnibus aliis, & postea etiam dimittens se ipsam unitur superfluentibus radiis Deitatis, in quantum scilicet cognoscit DEUM esse non solum supra omnia, que sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam, & supra omnia, que ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens DEUM in tali statu cognitionis, illuminatur ab ipsa profunditate divine sapientie, quam per scrutari non possumus. Quod enim intelligamus DEUM esse supra omnia, non solum que sunt, sed etiam que apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divine sapientie provenit nobis. Hæc S. Thomas: ubi aperte S. Doctor in mystica Theologia cognitionis sive intellectus actum ex Dionysii sententia fatetur.

CAPUT XIV.

Mystica Theologie contemplatio faciliori modo exponitur.

IN visione sive contemplatione mystica Theologia, in multis philosophari oportet ferè ac in visione beatifica, eo tamen discrimine piano notato, quod in ista DEUS clarè, distinctè, intuitivè, & quidditative cognoscitur; in visione verò mysticæ Theologiæ nec clarè, nec distinctè, nec quoad quid est, nec omnino intuitivè, licet immediate videatur, ut latius infra. Præterea in beatifica visione DEUS sine ulla specie à Beatis cognoscitur, ipsa divina essentia immediate Beatorum intellectui unita, ac speciei vicem supplente; quam vis posse etiam DEUM per speciem à Beatis videri, gravissimi Theologi affirmant: in mysticæ verò Theologiæ contemplatione DEUS media aliqua specie creata cognoscitur, ut infra etiam docebitur.

Deinde in visione beatifica intellectum DEUM videntium à lumine habituali gloriæ elevati, Catholica Fides nos docet: in contemplatione verò mysticæ Theologiæ apicem intelligentiæ sine aliquo habitu in hærentè à DEO lumine quodam sapientie dono eminentiori sublevati, superius annotavimus.

Demum, in unione ecstasica & fructiva, quando illa est in intensiori gradu, omnino à volupratibus torrente absorbetur potentia, ita ut pro illo tempore, non percipiant dulcedinem, qua fruuntur, quia ita sunt immersæ in illo suavitate & dulcedinis oceano, ut non relinquatur locus tunc notitiæ reflexæ, ut dignoscant objectam circa quod versantur: in beatitudine verò semper est ista notitia reflexa, qua intellectus percipit se videre summum bonum, ac voluntatem illud amare, eoque dulcissimè frui.

Hæc igitur discriminis ratione prænotata, explicemus jam per comparisonem ad visionem beatam, faciliori ac clariori modo hanc mysticæ Theologiæ divinam ac supereminentem contemplationem. Quemadmodum enim in beatifica visione DEUS illabitur intellectui non solum in ratione speciei, sed etiam in ratione objecti, quem intellectus lumine gloriæ elevatus immediate incuetur, ac ei unitur, voluntas etiam immediate cum DEO, quem intellectus præsentem apprehendit & videt, per amorem conjungitur, ac summo illo bono felicissimè fruatur. Pari fermè modo philosophari possumus in mysticæ Theologiæ deifica visione, amore, & fructione: nam in hac DEUS, qui in essentia animæ omnino præsens est, ineffabili modo menti purgatè illabitur,

& se manifestat, elevando quodam divino lumine intellectum, ut cum ibi existentem sibi que præsentem agnoscat, ac apicem affectivè tangendo, ut DEUM intimè & conjunctim, ac animam deosculantem & amplexantem ardentissime amet, ac amoris mutuo amplexu ei copuletur, ac in illum omnino transformata & absorpta, eo dulcissimè ac suavissimè perfruatur.

Hæc intima & immediata tam intellectus quam voluntatis cum summo bono felicissima unio, dicitur à Dionysio mystica Theologia, & divinis sapientie, estque supremus gradus contemplationis, ad quem in hac vita intellectus, divina ac singularissima præventus gratia, perungere solet. Prætermitto nunc DEI claram visionem, quam D. Paulo & Moyli ex specialissimo DEI privilegio contigit vix creditur.

Hanc præterea contemplationem potissimum in intellectu consistere superius probavimus, idque facilius intelligi poterit, si intellectus & voluntatis operationes in hanc unionem coeuntes amplius explicemus. Et ut ab intellectu incipiam, illud in primis esse credo perspicuum, intellectum objectivè & quoad essentialia seu propria DEI, non quantum ad quid est, sed quoad quia est, obscure & imperfectè posse DEUM in hac vita cognoscere: & de facto cognosci in hac mysticæ Theologiæ contemplatione, aperte docuit Dionysius Carthusianus in *Commentariis mysticæ Theologiæ*, cujus verba supra Cap. 10. retulimus; ubi inter alia duo inquit, Primum, DEUM in hac contemplatione cognosci ab intellectu objectivè & immediate, ita quod non est medium, per quod in ratione objecti, est tamen medium per quod in ratione speciei intelligibilis, quia per formas similitudinesque creatas & non clarè in seipso cognoscitur. Hæc ille.

Nec enim ulla est implicatio, quod DEUS immediate & objectivè per aliquam speciem creatam repræsentetur nostro intellectui, ut eum cognoscat: cognitione obscura, & quantum ad quia est. In qua cognitione, ut D. Thomas scripsit in *Boetium de Trinitate*, aut gradus, supremus autem gradus erit, quando cognoscitur res non solum quia est, sed etiam quid est, aut perfectè, aut confusè, sive in genere. Quare cognitio quia est, erit perfectior, quod magis fuerit conjuncta cum cognitione quid est.

Rursum cognitio quid est, est duplex. Prima, quando cognoscimus rem secundum prædicata generalia, ut cum de homine cognoscimus esse animal. Secunda, quando cognoscimus per prædicata specialia, ut cum hominem cognoscimus per suam definitionem. DEUM igitur in hac contemplatione mysticæ Theologiæ cognoscimus non solum quantum ad quia est, sed etiam quantum ad quid est, si loquamur de cognitione quiddiativa generali & confusa, ac proinde per magnam appropinquationem ad notitiam quiddiativam perfectam: est enim ista cognitio altissima, clarissima, perfectissima, ac profundissima Deitatis contemplatio, notitia, & visio huius vitæ possibilis, ut magnus Dionysius & ejus Explicatores testantur. Sed quia in hac contemplativa, & sapientialissima, (ut Dionysius Carthusianus loquitur, ut supra) ac ferventissima unione cum DEO mens acutissime & limpidissime conspicit, quam supereminensissimus, & superfluentissimus, & superpulcherrimus, & superambrosissimus, & superaudiosissimus sit ipse Dominus DEUS omnipotens & immensus, atque quam miferè & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica

vid. nos.
Salman.
ticens.
Tom. 1.
Tract. 2.
disp. 2.

Oper. Spirit.
Theol. II.
Oper. Spirit.
Theol. II.

Stultit.
tribus
proposi.
tu debi.
ta, circa
Se
m
studiam
au
A

ejus fruitione, visione faciali immediate & clare intuitiva distet, desinat, & occumbat. Ideo pra admiracione & amore desinat, & desinat a seipsa, gaudiosè quoque & dulciter absorbetur, obdormit, & quiescit in superdelictissimo DEO, Creatore, Salvatore, ac miseratore zimo & supergratiosissimo suo sponso, totius beatitudinis suae superpreciosissimo fonte, omnipotentissimo & liberatissimo causa. Hæc ille.

Secundum quod docet Dionysius Carthusianus, loco ubi supra, illud erat, hanc contemplationem proprie non esse cognitionem intuitivam, si per intuitivam intelligatur ea cognitio, qua res in seipsa & quoad suam quidditatem perfecte cognoscitur: si autem intuitiva cognitio latius accipiatur pro ea cognitione, qua objectivè res cognoscitur & quoad essentialia, seu propria sibi, quamvis non clarè ac distinctè secundum quod in seipsa est, tunc etiam in hac contemplatione DEUS intuitivè & quoad quia est cognoscitur; non verò quoad quid est, nisi valde obscure & imperfectè.

Quòd si querat Primò, Qua ratione possit fieri, ut DEUS objectivè ac intuitivè agnoscat, & tamen non perfecte & secundum se totum videatur. Secundò, Qua ratione poterit dari species impressa, quæ objectivè DEUM repræsentet, cum species debeat esse immaterialior re ipsa quam repræsentat, ut communis Thomistarum schola cum divo Thoma consentit, & ob eam causam in visione beatifica, species, quæ divinam essentialiam in Beatorum mentibus repræsentet, non admittitur. Tertio, Quia in hac mystica contemplatione voluntas DEUM perfectissimo ac intensissimo amore prosequitur, & forsan non minori dilectione, ac si in patria eo fueretur. Oportet igitur DEUM ab intellectu perfectissimè ac clarissimè cognosci, cum pari passu voluntas & intellectus debeant accedere; nec enim voluntas amare plus potest quam intellectus cognoscere.

Ad primam igitur interrogationem respondendo, DEUM meritò dici à Job habere in manibus lumen absconditum, & illud pro arbitrio suo manifestare quibus vult, quando vult, & eo modo quo ipse vult. Aliquando istius luminis sive Solis justitiæ radium aliquem sponsæ menti immittit, quo ipsa & illuminata & succensa, ad ejus amorem & contemplationem ferventer assurgit. Aliquando pleniori & uberiori lumine prætacta ardentissimè in sponsi amplexus ruit, ac ad mensuram amoris sive dilectionis divinorum cognitionem & revelationem percipit. Aliquando tandem non tam radios, quam ipsum lumen amantium oculis objicit, ubi immensæ lucis splendore reverbata mens non tam præsentem justitiæ Solem distinctè ac clarè intuetur dicitur. (caet enim gloriæ lumine, quo beati spiritus confortantur, ac redduntur capaces, ut possint inaccessible illud irreverberatis ac perspicacibus oculis contemplari) quàm cernere se præsentem solis incomprehensibile lumen non posse cernere neque sustinere, & ita præ nimia claritate videntes non vident, ac contemplantes DEUM præsentem, illum tantum obscure & indistinctè, delictiosissimè tamen ac limpidissimè, inspecta hujus vitæ peregrinatione, cognoscunt.

Afferamus igitur exemplum, quo res clarior fiat & apertior. Si contra istos inter absentes sponsalibus, sponsa sponsi adventum ardentissimè ac continuè expectet, ac cum precibus, lacrymis, gemitibus, & epistolis quotidie urget, ut quò citius possit, ejus amoris & desiderio satisfacere tandem, si post multas preces sponsus velata facie

sponsæ repenitè præteratur, ac eam amplexaretur, & veluti dilectam sponsam osculo saluaret, taliaque præ se ferret sponsus signa, ut sponsa ac domestici reliqui minimè possent dubitare illum esse sponsam, quem ardenti desiderio videre ac ei conjungi summopere cupiebat: tunc verè sponsa diceretur sponsum objectivè ac suo modo intuitivè cognovisse, ac ejus amplexus ac deosculationem degustasse, non tamen eum plenè ac distinctè faciali visione cognovisse.

Simili fermè modo in hac unione fructiva contingit; DEUS enim dulcissimus animarum sponsus, post gemitus, suspiria, ac ingenita & intima animarum desideria, quibus avidissime ejus suavissimam præsentiam clamoribus continuis inquirant, solet aliquando repenitè se ipsum, occultè tamen ac amictus lumine sicut vestimento, benignissimè earum mentibus manifestare ac exhibere præsentem, & veluti suavissimus sponsus eas amplecti & deosculari. Quæ sponsi deosculatio nihil aliud est, quàm intima suavitatis infusio, quam sponsa per deosculacionem & amplexum DEI immediatè tam tangentis & amplexantis incipit prælibare.

Dicitur autem hæc conjunctio & unio fructiva, & beatifica visionis similis, quia in ea summum bonum videtur, licet non clarè: summum bonum immediatè ac voluntate diligitur, ac summo bono fruitur in ratione summi boni honesti, utilis, & delectabilis. Forsan hæc est illa visio, & DEI altissimi contemplatio, de qua Dominus ad Moysen, *Faciem meam non videbis, posteriora mea videbis, & illa de qua loquens Job inquit cap. 4. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum.* Et hæc est visio media inter visionem beatam, & cognitionem Fidei omnino obscuram, est tamen valde proxima visioni beatifica, ac proprie dicitur à D. Thoma 1. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. infra essentialiam divinæ visionem; quasi supremum infimi, id est, contemplationis, quæ in hac vita haberi potest, attingat infimum supremi, id est, infimum gradum beatificæ visionis.

Secundæ dubitationi responderetur, Non esse de essentialia species, esse immaterialiorem quàm res per illam repræsentata, maxime quando species non procedit ab objecto clarè, distinctè, & secundum se totum repræsentato; sed est species à DEO immissa, ut eum repræsentet obscure, & in eo gradu quo ipsi placet. Sed quia plura de speciebus DEUM repræsentantibus tradunt Theologi 1. part. quæst. 12. cum nostri muneris non sit, Scholasticas quæstiones ad unguem examinare, prætermittimus multa alia, quæ ad hoc propositum non incongruè possent adduci.

Tertiæ verò objectionis facilis est solutio. Nā ut bene D. Thomas sæpè docuit, plus amat voluntas, hoc est, intensius ac ferventius, quàm intellectus cognoscat, spectatim verò in hac mysticæ Theologiæ contemplatione, fatentur omnes Mystici, quòd actus dilectionis excellat intellectus cognitionem in aliquo gradu, ut sapienter D. Bonaventura, secutus Hugonem Vercellensem, & alios, *Itiner. 5. etern. dist. 5.* sequentibus verbis docet: *Ex his igitur patet planè, quòd actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem illum excellit, in tantum eum excedit, attingendo DEUM in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est saltem in hac vita; quia in patria videbimus DEUM sic uti est, ut dicit Ioannes. Nec obstat quòd dicit Augustinus: Incognita nequaquam possunt amari; quia est nota*

Satisfic tribus propofitis dubitat. circa supra traditam doctrinam.

Confulendi nostri Salmanticensi. Tom. 1. Curs. Theolog. Tract. 2. dist. 2. & Andreas à Cruce in 9. 12. primæ part. Sum. S. Thom.

siria aliqua non intellectualis, sed affectualis seu experientialis, ut statim patebit. Cum prædictis concordat Hugo Commentator Dionysii, dicens sic super 7. Angel. hierarch. intelligas quanta est vis veri amoris & dilectionis, si tamen intelligi potest, quoniam dilectio supereminet scientia, & maior est intelligentia: plus enim diligitur, quam intelligitur. Intra dilectio, & appropinquat, ubi scientia foris stat. Et reddit rationem: Quia amor, inquit, præsumens, & confidens amato, suo acumine penetrat omnia, imperum sequens ardentis desiderii sui, nec dissimulari valens donec ad amatum perveniat, & eo ipso amplius adhuc sitiens intrare ipsum, & esse cum ipso, & esse tam proprie, ut fieri possit, hoc idem ipsum sit quod ipse. Ecce expressè dicit, quod verus amor DEI unit DEO immediatius quam intellectus, & quod intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis est superior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellensis super Cantica, dicens, quod affectus & intellectus simul coambulant usque ad novissimum defectum intellectus, ubi habet sua cognitionis & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in DEVM suspiria, superintellectuales extensiones & immisiones, fervidos fulgores, & fulgidos servores, ad quorum omnium sublimis excessus & excedentes sublimitates intelligentia transiri non potest, sed solum principalis affectus DEO unibilis. Hactenus Bonaventura.

Vid. Jo. an. à Jesu Maria cap. 4. myst. Theol. Philip. à SS. Trin. disc. pro amil. a. f. sue Theol. myst. Baithaf. & Joseph à Jesu Maria supra citatos.

Jam autem ex dictis patere potest decisio illius tam controversæ quæstionis, de qua etiam superius diximus, An contingat voluntatem progredi ultra intellectus cognitionem. Contingit quippe: nam licet præeat actus intellectus, voluntas tamen intellectum gusta & experientia transibit, & subtili sapore majus quiddam percipit, quam didicerit intellectus. Unde D. Thomas sapienter docuit 1. 2. quæst. 27. art. 2. ad 2. voluntatem magis posse DEVM amare, quam intellectus cognoscere. Quare in illo gradu intentionis, in quo voluntas præcellit intellectum, DEO unitur, ac illum degustat in altiori gradu, ad quem intellectus non potest assurgere, sed potius ad intellectum ex prægestata unione cum DEO voluntatis perfectior ac magis sapida de DEO novitia derivatur. Quod exemplo hoc explanari solet.

Evenire quæpote solet, ut conditi cibi nidore sensu percepto, quis judicet lapidum esse cibum, ac proinde acceptum avidius edat, ubi plerumque majorem quam cogitaverat saporem & appetitus irritamentum offendit. Unde saporis experimento convictus intellectus, propriorem perfectioremque illius cibi notitiam parit. Ecce cognitionis ordo. Gustus enim præcedit cibi illius notitiam perfectiorem, licet imperfectam, quæ ante ejus degustationem præcellerat, subsequatur. In hunc ergo fermè modum intellectus in illa caligine existens, divino etiam lumine perfusus, DEI incomprehensibilitatem, majestatem, Divinitatemque cognoscit, ac quodammodò ejus suavitatem odoratur. Sed hæc cognitio fermè speculativa vocatur. At cum voluntas DEO adhereret, ac mystico contactu, gustu percipit, attingit, & amplexa ut, tunc ex illa experientiali notitia voluntatis per amoris unitivi amplexum habita, perfectior ac clarior affulget intellectui, qui inferius remanserat, DEI cognitio, multò certior ac nobilior, quam per alias doctrinas universalis.

Exponuntur breviter quatuor modi, in quibus, secundum diversas sententias, quid sit mystica Theologia declaratur.

PRIMUS est Mysticorum Theologorum, qui mysticam Theologiam in affectus unione constituant cum DEO immediata constituant, de quo loquitur supra ex D. Bonaventura, ex Henrico de Palma, & Anthonio alii.

Secundus modus eorum, qui ponunt mysticam Theologiam in caliginosa illa ac sublimi DEI contemplatione, causata ex unione experientiali anime cum DEO. Nam ut supra dicitur, duplex est caligo illa divina: una quæ unionem illam fructivam anime cum DEO antecedit altera quæ divinam illam unionem & amplexum consequitur, secundum quod D. Dionysius dicit lib. 1. de mystica Theolog. quòd uno ista est effectiva veræ cognitionis. De hac etiam latius diximus in Cap. præcedenti.

Tertius modus, qui forsan haud multum diffimilis præcedenti: Docet, mysticam Theologiam esse DEI illapsam & manifestationem, quo DEUS objectivè & immediata, obscure tamen, intellectui purgatissimo unitur media specie creata, & voluntati realiter & objectivè, non aliter ac in gloria in ratione summi boni conjungitur, ut latius superiori Cap. diximus.

Quarto modo exponi potest mystica hæc Theologia, si dicamus, quòd in illa caligine, medio sapientie dono, anima vel ex vehementia lucis seu contemplationis, vel aliquando ex amoris violentia in illud immensum ac caliginosum Divinitatis pelagus, in imo amoris nexu DEO unita, unione inquam à charitatis habitu proveniente, secundum quam qui DEVM diligit, in eo manet & DEUS in eo, non tamen unione immediata & fructiva rapiatur. Sed tres priores dicendi modi magis ad veritatem accedunt.

De modo perveniendi ad mysticam Theologia contemplationem.

MIRA sunt planè, quæ de mysticæ Theologie contemplatione hæcenus elucidavimus; restat jam, ut viam & modum ad tam insignem cum DEO conjunctionem & altissimam perfectionem perveniendi breviter ostendamus. In qua re aliorum potius Doctorum decrevit referre sententias, quam stabilire propriam.

Sanctus Bonaventura in Tractat. de mystica videlicet Theol. aspirationum, quas actus anagogicos ipse vocat, exercitio ita animam ad DEI mysticam unionem erigi docet, ut illud ceteris omnibus exercitiis anteponat; quare illud miris laudibus celebrat. Habet enim hoc Angelicum exercitium tam egregiam stimulandi vim, & divinis flammis cor humanum urendi, ut hoc unum altarum virtutum studio conjunctum, ad mysticæ Theologie perfectionem & puritatem facile perducatur. Plura sunt alia, quæ S. Bonaventura, alique Mystici Doctores tradiderunt: quæ quia potius ad mysticam Theologiam, prout comprehendit unionem nostræ voluntatis cum DEO, quam ad contemplationem, prout in actu intellectus mystici